

1.22.6

Imp. Anastasius A Matroniano pp.

Omnes cuiuscumque maioris vel minoris administrationis universae nostrae rei publicae iudices monemus, ut nullum rescriptum, nullam pragmaticam sanctionem, nullam sacram adnotationem, quae generali iuri vel utilitati publicae adversa esse videatur, in disceptatione cuiuslibet litigii patiantur proferri, sed generales sacras constitutiones modis omnibus non dubitent observandas.

D. k. Iul. Constantinopoli.

[a. 491?]

DE DIVERSIS RESCRIPTIS ET PRAGMATICIS SANCTIONIBUS.

1.23.1

Imp. Alexander A. Supero.

Si libellum de communi causa tu fraterque tuus dedistis, quamvis rescriptum ad unius personam directum sit, utriusque tamen prospectum est.

D. id. Iul. Alexandro A. cons.

[a. 222]

1.23.2

Idem A. Epagatho.

Falso adseveratur auctoritatem rescriptorum devoluto spatio anni obtinere firmitatem suam non oportere, cum ea, quae ad ius rescribuntur, perennia esse debent, si modo tempus, intra quod adlegari vel audiri debeat, non sit comprehensum.

D. VII k. Nov. Antiochiano et Orfito conss.

[a. 270]

1.23.3

Imp. Diocletianus et Maximianus AA. Crispino praesidi provinciae Phoenice.

Sancimus, ut authentica ipsa atque originalia rescripta et nostra manu subscripta, non exempla eorum, insinuentur.

D. prid. k. April. Hannibaliano et Asclepiodoto conss.

[a. 292]